





1794 nr. 4 ba identisch mit 4^c

" 4 bb " " 4 d

" 4 f ist fälschlich hinter 4 g ein-
gebunden.

2.
3.
4.
5.
6. ba
6. c
6. d



1795

1. Hommel, Christianus Godefridus: Ord. juridici . . . Documenta:
lectori benevole s. p. dicit. (ad Disputationem Frederici Alberti
Schmittii invitata) Superius hinc de iure ecclesiae
religiosis singularibus in mutuo.
 2. Klotzsch, Joannes Terentius Cordus: Opera philosophica scripturae
interpretatio, quam commendavit Kumbler, admittit primum
in capitulo N. T.
 3. Knezelius, Ernestus Godefridus Christianus: De lege commissoria
speciatim de praescriptione actionis ex ea datae
 4. Polenkauer, Ernestus Fredericus: De iudiciis, a quibus et ad quae
procurari licet in terris Electori Saxoniae subjectis.
 5. Stuebel, Christophorus Cordus: De iudiciis per ueniam capi-
talem, quae in Saxonia obtinent.
 6. Stuebel, [Stuebel?], Christophorus Cordus: De iure literarum
illegitimarum succedendi in vacantibus bonorum patrimonium
secundum Saxoniae leges, artem politicam, et non fori
Saxonici.
- 6a Titius -
6c Titius - Neumann
6d Titius - Seeburg

7. Triller, Carolus Fredericus: Observationum de pacis illatione que finibus ea praestitit juris naturae recto aeternitatis specimen 6.
8. Wormdorffius, Theobaldus: Ord. jur. . . . Decanus: Lectori benevolae salutem (et reputationem istius Insuper Frederici Pflasterhauseri iuristae)
9. Wormdorffius, Theobaldus: Ord. jur. . . . Decanus: (et Reputationem istius Caroli Solomonis Zuckariae iuristae)
10. Wormdorffius, Theobaldus: Dissertationes, sive quae disquiruntur: de ex legibus Germanicis, fructus industriales, maxima labore parte peracta, semper usufructuario cedunt 6.
11. Wiersandius, Georgius Heptanus: De ritu jurandi manu sublata vel pectori imposta.
12. Wiersandius, Georgius Heptanus: Anestis forensis quatenus Pectus conductis a feminis facta sit valida.
13. Zuckariae, Carolus Solonus: Virgines comitorum, quae in imperio sacro Romano-Germanico celebrantur.

1796. 1a Bochner

1796.

1. Hummelin, Christianus Gottlieb: De poena ejus, qui se mandata aut jura deliquit. 18 Kröyig - ^{St. M. 1800}
- 15 Kröyig 1^a Kröyig 1^e Kröyig 1^e Kröyig
2. Thalerger, Joannes Augustus Hieronymus: De subordinationibus
- 2^a Observatorum: huc in principiis juris Germanici
- Tidius - Lindenbergh
3. Wiersandis, Georgius Stephanus: Ord. jus Vocamus: loc.
Loci Generalis salubris (ad Disputationem in aequ. Probi
Gottlobi Borstii in Ital.)
4. Wiersandis, Georgius Stephanus: Disceptationes juris
5. Wiersandis, Georgius Stephanus: De usu et effectibus juris jurantis
purgatorii 1797. ^{1^a} Bochnerus, Georgius Catalpa: De plantis
Aroniacis praesertim a Cavanilles dispositis.
1797. ^{1^a} Hoffmann
- 1^a Jungnickel, Gottlob Fredericus Christophorus: De jure societatum
contractualium armorum contra Anglos.
2. Kluegel, Augustus Gouffroy: Collegii jurisdi. in Vocamus:
1. b. o. (ad Disputationem in aequ. Gottlobi Frederici Christoph.
- Jungnickel in Ital.) Trost: Fusus veritatem patere
- 2^a Kluegel
- Rannet
2^a Kröyig

3. Zachariae, Cordus Solonus: Analeum imperium a fudo
sive acquiritur sine retinendo protulcat?

4. Zachariae, Cordus Solonus: De libertate Romano cit civi-
tatis Germaniae olim concessa.

g 1820
DE
VERISIMILLIMA LIBRVM IONAE INTER-
PRETANDI RATIONE.

DISPUTATIO PRIOR 1794 1/

QVAM

PRAESIDE

CONRADO GOTTLOB
ANTONIO

THEOLOGIAE BACCALAVREO LL. OO. P. P. O. ET ALVMN.
ELECT. EPHORO

D. VI. ANTE IDVS SEPTEMBRES A. C. MDCCCLXXXIII.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PVBLICO COLLOQVIO

PROPOSVIT

A V C T O R

HENRICVS CHRISTOPHORVS GRIESSDORF

AA. LL. M. ET PHIL. D.

VITEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

1794

VERISIMILIMA LIBRVM IONAE INTER-
PRETANDI RATIONE

DISPUTATIO PRIMA

PRIMA

PRÆSIDI

CONRADO GOTTLIB
ANTONIO

THEOLOGICÆ FACULTATIS LIB. P. P. O. ST. ALBANI
PUBL. P. H. O. R. O.

D. VII. ANTE IDUS SEPTEMBRIS A. C. MDCCCLXXXIII.

M. D. C. C.

AD DISCRETARIUM P. H. O. R. O. C. O. L. L. E. G. I. I.

PROPOZIT

A. V. C. T. O. R.

HENRICVS CHRISTOPHORVS GRIESBORT
A. A. M. P. H. I. L. O. G.

VITENBERGÆ
P. H. O. R. O. C. O. L. L. E. G. I. I.

Omni fere tempore liber Ioniae multa attentione dignus habitus est, quippe cuius argumentum multorum discendi, legendique cupiditatem posset allicere. Etenim mens mortalium in res miras, quae imaginandi vim occupant, et quae lectoribus voluptatem afferunt, fertur. Propterea hic liber saepe numero lectus, minus tamen accurate intellectus est. Cum vero adeo ab aduersariis religionis et diuinorum oraculorum saepius olim et recentiori aetate illuderetur, viri docti non temere sensus recti inde eritendi pericula varia fecerunt. Veteres hunc librum pro deridiculo habuisse, AVGVSTINVS a) et THEOPHYLACTVS b) dolent. Ille: „Postrema, inquit, quaestio proposita est de Iona, nec ipsa quasi ex Porphyrio, sed tanquam ex irrisione Paganorum. Sic enim posita est: Deinde quid sentire, inquit, debemus de Iona, qui dicitur in ventre ceti triduo fuisse, quod ἀπίθανον est, et incredibile, transuoratum cum veste hominem fuisse in corde piscis. — Hoc enim genus quaestionis multo cachinno a Paganis graviter irrisum animaduerti.“ Hic vero: *Καταπίνεται Ἰωνᾶς ὑπὸ τῷ κήτους καὶ διαγίνεται ἐν τῇ τοῦ ζώου κοιλίᾳ τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, ὅπερα πάσης πίσεως δοκεῖ τοῖς ἀνέουσι, καὶ μάλιστα τοῖς ἔξ ἑλληνικῶν ὠρημημένοις παρακισμάτων.* Et nostris temporibus haec historia, vt incredibilis et inaudita, pluribus cachinnum mouit. Quam valde igitur ii laudandi sunt, qui sensum eius obscurum luce clariori perfunderent! Naclus vero est hic liber interpretes perimultos

a) Aug. ep. 49. Quaest. 6.

b) THEOPH. in Ion. cap. II. Tom. IV. p. 189. B. ed. Vener.

idoneos et minus idoneos. Nam HIERONYMVS ^{c)} iam non male monet, tales quoque interpretationem esse aggressos, qui non operi pares fuissent. „Scio, inquit, veteres ecclesiasticos, tam graecos, quam latinos, super hoc libro multa dixisse et tantis quaestionibus non tam aperiuisse, quam obseurasse sententias, vt ipsa interpretatio opus habeat interpretatione.“ Numerus vero eorum, quibus animus Ioniae interpretandi fuit, nequaquam hac aetate decreuit, sed adeo accreuit, vt forte non defuturi sint, qui nos, repetentes explicationem huius libri, carpant. Nihil tamen fecius in tanta interpretum huius aetatis inconstantia operae pretium nos facturos, duximus, opinionibus, quae ingenii et iudicii subacti vestigia praeseferant, praecipuis, nostro interposito qualicumque iudicio, colligendis. Quoniam vero hoc argumentum est vberimum, illud certis finibus circumscribamus, necesse est. Nostrae vero causae maxime accommodatum videtur, ante omnia primum de Iona, deinde de huius patria, tum de tempore, quo vixerit, disserere: postea in quaestiones, num huius libri Ionas sit auctor, atque vtrum contineat veram, an fictam historiam, inquirere.

§. 2. I Ionam vatem reuera vixisse, extra omnem dubitationem positum videtur. Historia videlicet sacra 2 Reg. XIV, 25 narrat, victoriam, quam Ierobeamus II. de Syris reportauerit, a Iona praedictam esse. Veteres de nomine Ioniae varie philosophati sunt. ^{d)} Alii coluimbam, alii cum Grotio ^{e)} Graecum sub hoc nomine latere, alii alium significatum huic nomini tribui posse, putarunt. Sed diligentior etymologiae nominum propriorum peruestigatio, quae ad historiam illustrandam nihil facit, labor nobis ingratus videtur. Io-

^{c)} HIERON. in prologo ad Ion. ^{d)} v. CARPZ. introd. Vol. II. p. 344-370.
^{e)} v. Angl. Crit. t. 3. ad h. l. VI. no. 1. II. quo ad h. l. inueniuntur

nam vatē fuisse, ibidem affirmatur. Non enim tantum nomen prophetae ipsi attribuitur, sed etiam monitu Iouae singulari in vaticinando adiutus dicitur. Hoc vero vaticinium, paullo ante commemoratum, litteris relatum non legitur; et fieri potuit, ex coniectura Michaelis, D vt ne chartae quidem traderetur. Multa enim, credibile est, vaticinia, quae nunquam litteris consignarentur, prolata fuisse. Pater quoque I. I. memoratur, idque ex DRVSII S) aliorumque sententia, vel *διὰ τῆς γενεᾶς Ἰωνᾶ*, vel quia pater in ista gente fuerit clarus. Nobis vero videtur hoc datum mori, apud Orientales recepto. h) Propterea regula, ab HIERONYMO d) memorata: „Genitores prophetarum, quorum nomina in libris ponuntur, etiā prophetae fuerunt,“ ipsa corrui. Patrem vero nostrae prophetae LXX Ἰωνᾶ, Syrus Ἰωνᾶ appellarunt.

§. 3. Nunc de Ioniae patria est disputandum. Auctor posterioris Regum libri, cum ex Gath Chepher ortum, docet. Hoc oppidulum, testante Ios. XIX, 10. 13. in tribu Sebulon situm, ad Galilaeam inferiorem pertinebat. Regionem diligentissime descripsit HIERONYMVS k) Geth, inquit, in secundo Sephorim milliario, quae hodie appellatur Diocaesarea, euntibus Tiberiadem haud grandis est viculus, vbi etiam eius sepulcrum, (quod quoque recentiores viderunt.) l) ostenditur. Quamquam alii iuxta Diospolin, i. e. Lyddam, eum et natum et conditum velint; non intelligentes hoc, quod additur, Opher, ad distinctionem aliarum Geth urbium pertinere, quae iuxta Eleutheropolin, s. Diospolin hodie quoque monstrantur. Hoc vero oppidum paruum fuisse, testatur etiam CYRILLVS ALEXANDRINVS, m) qui dicit

A 3

Γεθ

f) Anmerkungen zur Uebersetzung für Ungelehrte ad h. l.

g) Critic. l. c. h) Num. XIII, 4 lq. i) Hier. ad Zephan.

k) in prologo ad Ion. l) v. H. A. GRIMMII Ionas, p. 2. m) in Comm. ad Ion.

Γὰρ χεβερ πολυχνιον τῆς Ἰεδαίων γῆς ἠτοι κώμην κατὰ γε τὸν εἰκότα λόγον. Hanc patriam Ionae cum multi Iudaici interpretes, v. c. R. Iochannan, aliique tribuerint, vix intelligi potest, vnde orta sit Iudaica traditio, cuius iam HIERONYMVS ⁿ⁾ mentionem fecit, eum fuisse filium viduae Sareptanae, quem propheta Elias mortuum suscitavit, matre postea dicente ad eum: nunc cognoui, quia vir Dei es tu, et verbum Dei in ore tuo est veritas. Et ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum. Amichi enim in nostra lingua veritatem sonat, et ex eo, quod verum Elias locutus est, ille, qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis. Abarbanel ^{o)} hanc sententiam ex antiquioribus commentariis illustravit. PSEUDO-EPIPHANIVS, ^{p)} DOROTHEVS TYRIVS, ^{q)} ISIDORVS HISPALENSIS, ^{r)} aliique hoc iudaicum figmentum repetiere. Totam autem hanc fabulam refutare, non opus est. Quilibet enim videt, illam viduam habitasse prope Sidoniam, et Ionam ipsum Cap. I. 9. Hebraeum se profiteri, cum, si filius viduae Sareptanae fuisset, eum, se Phoenicem appellare, oportuerit. Hic quomodo de Ionae parentibus et patria fenserint Arabes, (bis enim in Corano memoratur, Sur. X, vs. 97. et XXXVII, vs. 139-148. de qua paullo inferius agemus,) silentio non praetermittamus. LVD. MARACCIVS ^{s)} ex Ismaele Ebn Aly Part. I. protulit: Ionam esse فولزون piscis habitatorem, et matrem fuisse ساربت. Neque vllus (Arabs pergit) propheta celebratus est e matre, nisi Ionas et Christus. Porro eius patria in tribu Benjamin ponitur, sed sine rationibus idoneis. Idem Ismael quaedam de vita Ionae attulit, quorum paullo inferius memores erimus.

§. 4.

- n) l. 1. o) comm. ad Ion. p) de vitis prophet. q) de prophetis.
r) de obitu sanctor. s) in Corano p. 332.

§. 4. Multo minus tempus, quo Ionas vixerit, definiri potest, quippe de quo scriptor facer loco supra excitato nihil tradiderit. Sed nihilo minus, Ionam tempore Ierobeami II. vixisse, multi interpretum collegerunt ex eo, quod in illo loco Ionas bona omnia Ierobeamo praedixisse fertur. Quid vero, si Ionas priori aetate vixisset? GRIMMIVS v) certe, qui regem Syrorum, Hafaalem, omnes ad Iordanum orientales regiones vi cepisse, verum Ioaham feliciter contra Syros bellare coepisse, filiumque demum omnes regiones recuperasse, animadvertit, putat, nostrum has omnes de Syris reportandas victorias praedixisse, adeoque maturius floruisse, forsitan rege Iehu, vel saltem Ioahaso fasces reipublicae tenente. In quam posteriorem sententiam MICHAELIS v) quoque descendit; eademque nobis verisimillima videtur. Iudaici vero interpretes, v. c. *Salomo Iarchi*, *Davides Kimchi* et *Isaac Abarbanel*, eum tum, cum Iehu auctoritate Elisae rex vngeretur, iam vixisse, ipsamque victionem perfecisse, affirmant. In libro *Seder Olam Rabba* w) ita res narratur: **אלישע שלח את יונה בן אמתי** וּמִשָּׁח אֶת יְהוּא. Quae opinio tamen nobis minus arrisit, quia vinctio regis Iehu regnum Ierobeami II. septuaginta fere annos antecessit. At tamen si quis statuerit, Ionam Ierobeami aetatem non attigisse, sed tantum modo victoriam Ierobeami auctori sacro anam huius vaticinii commemorandi praebuisse, nos non habemus, quae contradicamus, praeter hoc, quod, quia demum, Iehu regnante, pars terrae a Syris est occupata ante illud tempus eiusmodi solatio opus non fuit. Ceterum ex his apparet, aetatem Ionae non accurate constitui posse; id tamen elucet, eum prophetas minores reliquos aetate superasse. In quod-

nam

v) p. 6. v) in den Anmerkungen. w) GRIMMII librum laudatum videtis.

nam vero tempus historia huius libri inciderit, multo minus effici potest, vitæque huius vatis ipsa Cimneriis quasi tenebris obuoluta iacet. x)

§. 5. Huc vsque plurimos interpretum consentientes habuimus, sed in iis, quæ sequuntur, eorum sententiæ longissime discedunt. Vnus id affirmat, quod alter totidem argumentis negat. Omnia enim ad rationem, qua hic liber spectari debet, redeunt, quam diuersi diuersè constituerunt. Ad hanc rationem probe finiendam nostra diligentia ante omnia, quis auctor sit illius libri, decernat, oportet. Veteres enim, Ionaæ ipsi hoc scriptum abiudicare, nefas putarunt, sed longè secus res se habet apud recentiores, quorum alij de auctore hæsitauerunt, y) alij ad priscorum interpretum sententiam animum inclinaverunt, z) alij denique Ionam autorem esse, negarunt, quibus facem EICHHORNIVS, Vir in iudicando subtilissimus, prætulit. Cum totum de hac quaestione iudicium eo redeat, ut argumenta, ab illo summo interprete allata, rite perpendantur, ita illa nos recensibimus, ut simul ad obiectiones nonnullas, dubitationesque quasdam respiciamus. EICHHORNIVS a) argumentum primum, cui tamen non magnam vim tribuit, in eo posuit, quod in hoc libro non a Iona prima, sed de eo tertia persona adhibita est. Quoniam ipse auctor acutissimus hanc rationem infirmam dixit, non est, quod illi obiciamus, neminem eam ob causam, quod Cæsar semper de se tertia persona utatur, quod nos sciamus, commentarios ei abiudicare ausum esse. Alterum spectat linguæ rationem, quam testem iure nostro adhibere

x) EPIPHAN. enim, qui eum, excidium Hierosolymorum cecinisse, nugatur, nullam meretur fidem. y) v. c. MICHAELIS. z) v. gr. PAVLVS Memorabil. t. 6. p. 37-70. a) *Einleitung in das A. T.* Vol. III. §. 576 sqq.

hibere possumus ad librum quendam ei tempestati, cui tribuitur, vindicandum. Certe lingua hebraica eo erat purior, quo longius ab exilio distabat. Aetatem igitur Ionae longe recentiorem produnt chaldaismi, in hoc libello obuii, ex quibus EICHHORNIVS vrget **ש** pro **שן** positum, quod imitatur chaldaicum **ך** aut Syriacum **כ** in **כשמי** et aliis quibusdam vocabulis obuium, solum in talibus occurrens libris, qui ad exilium, et dialectum tum consuetam chaldaicam propius accedunt. Tales voces, quibus nos **נקיא**, et alias adicere possumus, tempore Ieroebeam non erant receptae. Sed huic argumento non omnes ad stipulantur: inter eos, qui aliter sentiunt, PAVLVS Vir Cel. b) eminet, tales voces ad dialectum, qua Iudaei in vita communi usi sint, referri oportere, docens. Ut hanc sententiam stabiliret, locum Iud. V, 7. excitat, quo quidem, quod facile nemo negabit, **ש** pro **שן** ponitur, ex quo tamen loco et aliis malim colligere, hunc chaldaismum orationi poeticae esse datum a praesentibus. Si hoc solum esset, quod, librum Ionae posterioribus tempestatibus esse compositum, doceret, sane foret argumentum infirmissimum: id tamen negari non potest, in linguae hebraicae aurea aetate huius chaldaismi usum rarissime inueniri. Contra vero criticus liberalis concedet, e linguae sola ratione nihil certi ob scriptorum hebraicorum inopiam effici posse. Hic non temere his argumentis Vir doctissimus addidit hoc, quod e rebus miris, ibi occurrentibus, petitum est, scilicet ex eo, quod pisces, Ionae deuoratores, ricinum, vermem, ricini perditorem, atque reliqua, mirifice ad Ionam consciendum, eumque seruandum concurrentia, Deus creasse dicitur; ex quo auctor Cel. huius historiae artificem remotissimum a rebus, quas narraturus erat, fuisse, colligit.

b) l. c.

B

At

At vero primum, quis nescit, et in V. et in N. T. multa ita ad Deum auctorem referri, quasi nullius rei interuentu ab ipso essent profecta. Cf. Gen. III, 21. Matth. V, 45. Deinde si auctorum sacrorum sensum eruere, non nostrum illis obrudere conamur, quam maxime est euidens, Deum sese ad hominum imbecillitatem interdum ita accommodauisse, ut mirum in modum ageret. Quid igitur eum impedierit, quo minus intelligentiae Ionaë tam exiguae, ut existimaret, se Iouam fugere posse, succurreret? Argumentum sequens repetitum est a breuitate, qua in liberatione prophetae e mari describenda, et in adhortatione Niniuitarum usus est. Quod argumentum multum ad rem auctoris facere, nec tamen eam conficere videtur. Aliud argumentum §. 578. auctor duxit e descriptione Niniues Ion. III, 2., quae quia in praeterito est composita, videtur proderi scriptorem, post eius excidium viuentem. Sed hoc argumentum nullam vim habet, quia constat, praesentis quoque vices praeteritum sustinere. Ceterum nobis quoque hanc historiam composuisse videtur quispiam, qui multo post rem gestam vixit, excepta oda, quae a Iona originem ducere potest. Quamquam enim similes in psalmis occurrunt loquendi modi, tamen nos non videmus, quidni poeta, qui odas Dauidis procul dubio, saepius legerat, iis uti potuerit. Itaque nec haec causa ad odam Ionaë eripiendam sufficere videtur. Inter recentiores, post Eichhornium, J. G. A. MÜLLER ^o) hanc sententiam defendere, tempusque, quo hic liber scribi potuerit, accuratius definire conatur. Hic imprimis urget, Iouam, si scripisset hanc historiam, non Niniues magnitudinem, quae aequalibus nota esse posset, expositurum fuisse. Sed Cel. PAVEVS in nota tunc, cum homines cognitionis geographiae

M. c) PAULI Memorab. t. VI. p. 142 - 188. .. accura-

accuratae essent expertes, talem descriptionem non fuisse superuacaneam, bene admonuit. Quoniam ergo ex MULLERI sententia Ionas non auctor est, oritur quaestio, quando haec historia sit scripta? Negat auctor Clar. ob argumentum, paullo ante allatum, hanc narrationem scriptam esse ante destructam Ninivem. Cuius destructio, historia teste, duplex fuit; primum eam Arbaces, Mediae Praefectus, qui a Sardanapalo descuerat, deleuit, deinde rursus extractam, ad priorisque magnitudinis fastigium euectam, CYAXARES, d) Persarum rex, diruit. Auctor vero Clar. sumit, nostram historiam post excidium posterius vel paullo ante, vel post exilium Babylonicum litteris mandata esse. Quodsi TOBIAS, e) qui ante exilii finem multos annos mortuus est, huius rei mentionem iniecit Cap. XIV, 4-8. per Anachronismum id factum, Mullerus docet; alia, quae proponit, argumenta supra considerauimus.

§. 6. Ultima quidem quaestio, sed densissimis, et perplexis quasi spinis obsepta, at, quae diligentissime, et accuratissime inuestigetur atque cognoscatur, dignissima, nunc nobis instituenda restat.

B 2

Quaeri-

d) HERODOTVS Lib. I. cap. 103.

e) Verba sunt haec Ἀπελθε εἰς τὴν Μηδίαν, τέκνον, ὅτι πέπεισμαι, ὅσα ἐλάλησεν Ἰωνᾶς περὶ Νινευῆ, ὅτι καταστραφῆσεται -- Καὶ νῦν τέκνον, ἀπελθε ἀπὸ Νινευῆ, ὅτι πάντως ἔσαι, ἃ ἐλάλησεν ὁ προφήτης Ἰωνᾶς. Sed hic locus vix de nostro Iona agere potest. Vaticinium, Nini ciuibus perniciem minitans, tantummodo erat cum conditione propositum, et, ipsa historia teste, ea perniciem, quam Ionas, nisi vitia, quibus indulserint, missa facerent, praedixerat, illos non tetigit. Forsitan librarius oseitans vocem Ἰωνᾶς, margini adscriptam, in textum recepit. Haec coniecturae pondus addunt nonnulli Codd. et Versiones. v. c. Syriaca, Vulg. ipsaque nostri Lutheri, quae istam vocem omiserunt. Rectius GROTIUS Ναυμῶς restituit.

Quaeritur nimirum, utrum historia, de Iona tradita, sit ficta, an vera? Interpretes enim in duas potissimum sententias, plane oppositas, abierunt, quorum pars alia fabulam, s. parabolam, alia veram historiam in hoc libello inuenit. Illi, qui fabulam in eo contineri, statuunt, eius finem primarium vario modo constituunt: qui autem historiam, etiam in explicandis difficultatibus, ac, quae sponte sua se offerunt, dubitationibus, longe a se discedunt. Nos prius conamina eorum, qui hanc fabulam esse, prae se tulerunt, finesque, quos poetam sibi proposuisse putarunt, varios recensebimus, quam eorum, qui in libro Ionaë historiam reppererunt, difficultatum remouendarum rationes enumerabimus. Quoniam vero nobis, recensentibus opiniones eorum, qui fabulam statuunt, se offert duplex genus argumentorum: sententiis quidem singulis indicatis, propria adiciemus, communia vero, omnibus expositis, demum subiiciemus.

§. 7. Horum interpretum agmen hoc ineunte seculo HERMAN-
NVS VON DER HARDT ^{d)} duxit, cuius hypothesis, ab explicacione vul-
gari alienissima, magnam sui admirationem mouit. Eius scripta, quo-
rum multa annis huius seculi 18 et 19, Helmstadii, vbi publice do-
cebat, prodierunt, plus aduersariorum, ^{e)} quam fautorum sunt nacta.
Sumit, totum libellum esse historicum; sed ipsa interpretatio docta,
at obscura, intellectu saepius valde difficilis reperitur. Priores hac
de re agentes libelli erant: *Ionas in Carchuria*, et *Ionus sub Sillicyprio*, in
quibus omnes res allegorice explicuit. Quam explicacionem duplici
scripto

f) v. GRIMM. et CARPZOV.

g) v. I. G. IANVS de Signo Ionaë. I. H. a SCELEK examen de Iona aenigma-
tico, Rost. 1725. I. W. ROLIEF Ionas vindicatus contra HARDT. aliique.

scripto SIEGISMUNDVS BËRMANNVS, Pastor ad aedem Trin. Guelfer-
byti^{h)} aggressus est. Eius vero obiectiones HARDTIVS in prolusione: de
rebus Ionae soluere conatus est, quam statim alia excepit, nempe:
*Aenigmata Ionae ex vetusto Hebraicorum fontium siso et profundis ulti-
mae antiquitatis recessibus, publica recensione tentata.* Quoniam haec
scripta rariora sunt, (neque nobis ea inspiciendi copia facta est,) argu-
mentum, sicut ab aliis est expositum, id repetamus, et quae nobis vi-
deantur dubia, libere detegimus. Jonas, ecclesi quaedam abreptus,
appellatur, ita, ut etiam alii prophetae cohortationem in hoc colloquio
invenire possint. Sub Ninive Samaria, ubi Ierobeamus II., rex Israe-
litarum, commorabatur, depingitur. Cum itaque Jonas Niniven pe-
tere iubetur, indicatur, moribus Israelitarum deperditissimis, idolo-
latriae, quam Ierobeamus foueret, reliquisque sceleribus admonitione
esse occurrendum. Fuga Ionae designat eiusdem detractionem mani-
dati divini perficiendi, atque indicat, prophetam, omnesque bonos silere
ob pericula, sibi imminencia, quam mores prauos carpere, in eosque
animaduertere maluisse. Imago Ionae, Ioppen profecti, exprimit stu-
dium terris Israeliticis deserendi: navis, quam vates ascendit, signi-
ficat rem publicam Samaritanam. Quae navis Tarschischum, i. e.
Sardes, cursum dirigere cupiebat, ea significat, regnum Israeliticum ad
cultum alienorum deorum non minus deflexisse, quam gentiles. Nau-
tae sunt ciues Israelitici, procellae fluctus bellici; illi implorant deos, ut
hos sedent, sed frustra, i. e. Israelitae confugient ad idola, sed non
servabuntur. Suppellex, e navi in mare proiecta, sunt depopulatio-
nes.

h) in epistola 1719. et programme eod. ao. impresso.

i) e. gr. CARZOV. et GRIMM. II. II.

nes hostiles, et praesertim tributa grandia, Assyriis soluenda. Somnus Ionae denotat silentium prophetae ac cunctorum bonorum. Gubernator est imago procerum, qui, auxilio ab idolis frustra implorato, tandem spem in prophetis ponunt, ab illisque salutem quaerunt. Sortitio, qua Ionas designatur, ostendit, silentio vatum esse factum, vt regnum Israeliticum tantis premeretur malis. Confessione Ionae, se esse Hebraeum, idololatria Israelitarum castigatur, simulque indicatur, vt Israelitae veri Hebraei euadant, esse optandum. Conamina nauarum ad continentem nauigandi sunt studia magnatum omnia experiendi eum in finem, vt tempestas ciuitatis auertatur. Horum preces ostendunt, proceres populi Israelitici tandem intellecturos, se calamitatis publicae auctores esse. Ionas, a nautis in mare proiectus, est imago exilii, in quod etiam prophetae et optimates mittantur. Sacrificia et vota in naui denotant superstitum in terra emendationem. Piscis, qui Ionam deglutiuit, curam diuinam populi, in exilio degentis, significat. Tota quidem imago a Carcharia, in mari mediterraneo frequenti, desumpta est, sed piscis magnus est h. l. Symbolum regni magni Assyriaci, quod Israeliticum penitus deglutiuit. Dies tres indicant exilii Israelitici tempus indefinitum. Oratio Ionae, in ventre piscis recitata, docet, quae in exilio essent agenda. Ionas liberatus significat, fore, vt Israelitae exilio liberentur. Sic etiam reliqua de conditione Israelitarum intelliguntur, atque explicantur. Quae quidem explicationes allegoriae et illustrationes HARDTIUM ita delectarunt, vt maiori opere, quod inscribitur: *Aenigmata priscae orbis Ionas in luce in historia Manassis et Iosuae, ex eleganti veterum Hebraeorum silo solutum acnigma — interprete HERMANNO VON DER HARDT, Hebr. 1723.*, eam amplificaret. Tota, vt statim in-
II. II. 1723. 17. 1723. 17. 1723. 17. scriptio

scriptio indicat; allegoria ad Manassën et Iosiam refertur. Secundum hanc Ionas est Manassës, Gubernator vero Zadock, eum ad animum emendandum et idololatriam remouendam adhortans, piscis est Lybon ad Orontem, quo Manassës captiuus abductus est. Postremo Ionas, Niniuen proficiscens, Iosiam sperare, fore, vt Niniue a Medis expugnentur, indicat; emendatio vero Niniuitarum significat; Phraortem, regem Medorum, urbem frustra esse obsidione clausurum. Cetera asserre piget. Potius lectoribus rationes, quae HERMANNVM mouerunt, vt talem interpretationem allegoricam eligeret, indicabimus. Causam praecipuam in scribendi genere symbolico, Hebraeis usitato, posuit. Quoniam videlicet interdum in codice sacro, v. c. Iud. VIII, 8-15. Gen. XV, 9 seqq. c. XXVIII allegoriae occurrunt, HARDTIUS, tali scribendi genere etiam Ionae librum esse exaratum, existimauit. Sed quis non videt, omnia interpretandi principia corrumpere, si ad libidinem allegorias quaerere licet. In narratione ipsa nullam eum allegorice et symbolice explicandi videmus causam. Itaque si Patres ecclesiastici ab omnibus, meliori explicandi rationi aduersus, eo nomine recte sunt reprehensi, quod omnia fere allegorice explicauerint, eadem vituperatione dignus est hic vir doctus. Huc accedit, quod HERMANNVS VON DER HARDT ipse in ambiguo haesitauit, vtrum de Ierobeami, an de Manassës rebus allegoria ageret. Nulla quippe adest ratio, illum explicandi modum huic praeferendi. Denique, quid nos impediatur, quo minus totum Ionae librum de hodiernis turbis Franco-Gallorum intelligamus ac explicemus, si temere licet ad allegoriam confugere. Eo magis mirandum est, SEMLERVM, Virum Summum, ad hoc genus explicandi in hoc libro fuisse procliuem. k)

k) v. Apparatus ad liberaliorem V. T. interpretationem p. 271. et confr. BAVERI minores Prophetæ p. 185.

rubr. §. 8. Huic, quam nos explicauimus, opinio illa, quam NIEMEYERVS ¹⁾ fouit, etiam confirmis videtur. Ille quidem, Ionam nequaquam fuisse fictam personam, eius in libro regum fieri mentionem, et primum inter prophetas locum occupare, largitur, neque tamen ea, quae nostro in libro de eo narratur, pro rebus gestis habet, sed, eas esse descriptiones parabolicas, opinatur. Vera, si mentem eius recte ceperimus, ea sunt, quae de istius profectioe ad urbem Niniuitam narrantur. Difficile eiusmodi mandatum erat, ob mores illa in urbe deperditissimos. SARDANAPALVS enim, ut putat, ^{m)} princeps vitis atque libidinibus omnis generis deditus, tunc Assyrii leges iuraque ferebat. Tamen auctor huius libri, quem NIEMEYERVS haud definiuit, in enarranda ista historia parabolica hanc sententiam primariam: Deum multo facilius cogitare, decernere et agere, quam hominem, ⁿ⁾ fundamenti loco posuit. Ita vero eam exornauisse auctorem *Halensis Theologus* declarat. Ionae a Ioua mandatum honorificentissimum iniungitur, quod respuit. Deus illum calamitate commouefacit, eum vero eidem eripit. Ionas sibi umbraculum facit, quo secure Niniuitarum ruinam spectet. Sic etiam in reliquis, a NIEMEYERO allatis, diserepans Dei et Ionae cogitandi et agendi ratio fit conspicua. Verum enim vero nos quidem, si ad hanc sententiam omnia redeunt, non videmus, cur deuoratio Ionae aliaque, illam sententiam minime illustrantia, (sic v. c. Ionas, homo contumax, honoris cupidus et petulans: gentiles contra ut homines mites, liberales, Numinis reuerentes depinguntur, id quod non ad rem pertinet,) historiae, imo vero fictioni

1) *Charakteristik der Bibel*, t. V. p. 378-400. coll. LAVATERI sermonibus sacris super Ionam, Vell. II. — m) *confr. §. 5.* n) *Wie viel anders denkt, beschlieszt, wünscht, handelt der Mensch! wie anders Gott!*

sunt immixta? Ac profecto talis sententia maiorem lucem et vim e veris
historiis nancisceretur, quibus populus Israeliticus haud caruit; itaque
e rebus factis id, quod Ies. LV, 8. docuerat, discere potuit. Quam
ob causam parabola, hanc sententiam exhibens, fere superflua fuis-
set, cum ex quavis historia melius hauriri potuisset.

§. 9. Viri docti, et ipse auctor, hanc sententiam non optime toti
conuenire, perspexerunt, et quilibet eorum nouam, ad quam commo-
de cuncta referre posses, opinionem excogitare conatus est. HERDE-
rus iam pridem^o aliam reperit. Historia illi vera haec eam ob causam
non videtur, quoniam in ea res narratur mirae, quae multum
risum mouerunt. Quae omnia aliter, si fabula sumitur, se habent.
Sic enim libro considerato, in illis, quae ridendi causam praebuerunt,
pulchritudines elegantes existent, ipseque liber *unitatem, breuitatem,*
et *rotunditatem* ex orientalium sensu prae se feret, etiam suis prima-
rius inde elucebit, videlicet hic, ut imago prophetae variis cum vitiiis,
eius munus sequentibus, exhiberetur. Sed veremur, ut haec senten-
tia ad totum quadret. Porro quibusnam haec innotescere debebant? num
vatis ipsis? at his Deus ea, qua alia reuclare solitus erat, ratione, vbi
opus fuit, illa ostendere potuit. Atque historia ipsa luculentissime ea
aperuit. Et quare virum ad hunc finem poeta elegit, qui fortasse ple-
rosque vitiiis anteiuit? An grauiissima prophetarum vitia Israelitis in-
notescere debebant, qui vatis optimae notae fidem et obedientiam de-
negare solebant. Certe si ipsis, data opera, vatum suorum peccata proposita
foent, eorum contumacia huius ipsius libri ope nutrita esset. Sed hu-
ius

^o) Briefe, das Studium der Theologie betreffend, T. I. Br. 9.

ius hypothesis ne vestigium quidem inuenimus: nam quod propheta prauus, si quidem vere improbus fuerit, hoc in libro inter alia sistitur, id non sufficit ad opinionem HERDERI commendandam; et deuoratus Ionas, preces ab eodem factae, ricinus ad eam nihil valent, sed solummodo otiosae exornationes videntur, hac opinione admissa.

§. 10. Cum hac explicatione HERDERI ea, quam HEZELIVS p) dedit, arctissime cohaeret. Etiam hic fabulam in hoc libro inuenit, cuius finem primarium in eo posuit, quod ex eius sententia docetur: Esse quidem munus prophetarum ingratisimum et periculis plenum, nihilo fecius eum, cui demandetur manus tale, id, etiamsi ad immatissimas mittatur gentes, inter quas et ipsas Deus virtutis femina spargere possit, suscipere animo debere lubentissimo. Possunt quidem haec et reliqua ex hac, vt ex aliis quibusdam historiis elici; sed eae ipsae res, quae obslant, quo minus hi interpretes hunc librum historice interpretentur, ad illam sententiam exornandam illustrandamque parum facere videntur. Etiam hic ea, quae §. antegressa diximus, valent. Prophetas vero, interpretes diuinae voluntatis, semper et vbi que eidem parere debere, nullus vatum Hebraeorum dubitauit: hinc tali fabula vix fuit opus.

§. 11. Nostra autem aetate MICHAELIS, q) Vir immortalis, in ea sententia fere defendenda, qua, fabulam continere librum Ionae, assertum est, antesignanus fuit. Nimirum ea illi propterea arrisit, quia difficultates, huic libro propriae, eum offenderunt. Itaque talem hanc narrationem esse, quales scripserit Gellertus, existimans, flautit,

p) vid. *Bibelwerk*, t. 9. q) in *den Anmerkungen*, t. IX. p. 99-108.

tuit, in ea Iudaeorum odium aduersus gentes, ab ipsorum religione alienas, reprehendi, et reici. Porro Ionam partes praecipuas propterea agere, quia hoc nomen Mythologiae sit conuenientissimum, ipsamque narrationem esse Phoeniciis simillimam, credit. Eiusmodi fabulae ex ipsius opinione fuerunt illae, quarum alia fertur Hercules ad filiam Laomedontis defendendam in fauces canis Neptuni, i. e. Carchariae, apertas insiluisse, et tribus diebus intra eas pugnasse, donec, capillis amissis, viuus exiret; alia Iassae venusta Andromeda marino monstro deuoranda data, sed a Perseo liberata dicitur. Interrogantibus quidem, quomodo Christus, per tres dies sepulcro inclusus, cum Iona, cui simile quid nunquam acciderit, comparari possit, respondet, eum eodem iure potuisse vti hoc exemplo, quo nos ad virtutem quandam illustrandam homine fabuloso. Nos quidem, huius viri argumenta lectores ita, vt eius sententiae faueant, delectare posse, largimur, non tamen ea, quae recentissimi interpretes contra monuerunt, eos celare volumus. MULLERVS ^{r)} enim, hac opinione admissa, Ionam a pisce deuoratum, fictionem ricini cet. ab auctoris consilio esse alienam, monet. De eo potest quoque ambigi, vtrum illae fabulae, si Phoeniciae sint, Ionae auctori, an hic illis materiam suppeditauerit. Hebraei certe non easdem fabulas, quas Graeci a Phoenicibus hauserunt. Sed nec tale odium totus liber prodit. Neque enim Ionas dicitur odisse alios, a vero Deo remotos, sed mandatum Iouae subterfugisse. Dictum enim Cap. II, 9. Colentes idola negligunt benefactorem suum, ne caderet quidem in socios nauis, quippe qui Iouam suis precibus profecuti sint. Neque certe erat, quod Ionas illis, vitam ipsius fer-

C 2

vandi

r) Memor. I. I.

vandi studiosissimis, mala imprecaretur. Nec quod Ionas Nini interitum optavit, id ex odio, sed e metu, ne gloria prophetici sui muneris minueretur, profectum est. Porro auctorem libri fabulam profanam apud eos, quibus profana quaeque essent odio maximo, hoc consilio adhibuisse, ut vitium suorum castigaret, plane non probabile videtur. Atque adeo prophetae persona vix accommodata videri poterat toti populo Israelitico repraesentando. Prophetae enim, meliora edocti, etiam castitate animi alios superare vulgo credebantur. Quae si rite auctor doctissimus perpenderit, certe illam sententiam haud probaturus fuisset.

§. 12. EICHORNIVS ^{s)} Celeb. et ipse fauet eorum sententiae, qui fabulam in libro Ionae repperunt, sed, uti fieri solet, aliud excogitavit, ad quod omnia commode reducere posses, consilium primum. Populus Israeliticus, ut eius fert opinio, excellentia et praestantia sua fretus, alios populos semper despexit, etsi eos interdum in colendis alienigenis diis imitatus, malignitate vicit, prophetarum admonitionibus neglectis. Iam vero horum oracula a Iudaeis, quasi doctoribus, cognitionem meliorem et cultum Iovae ad gentes, huius sapientiae cupidas, transmigraturum esse, saepe promiserant. Itaque Israelitarum contumaciam animumque ingratum in Deum, eos maximis beneficiis semper ornantem, in aprico ponendum, facile putat fabulae huius fingendae ansam praebere potuisse. Arbitratur, harum gentium magistro, quem discipuli longe post se relicturi essent, exprimendo aptissimam fuisse personam prophetae. Sed hoc est, de quo ambigimus. Adeo stultae enim notiones Iudaeorum prophetis, clariore

s) *Einleitung*, Vol. III. §. 577.

riore luce illustratis, quia vix tribui poterant, hanc vnam ob causam haec tota fabula magnam probabilitatis partem amittit. Auctor (pergit EICHHORNIVS) elegit Ionam, quia, nomine excepto, ignotus fuit. At quis dubitet, oracula eius plura, quae tempus, recte a poeta dictum omnium rerum edax, deleuit, olim cognita, potuisse per plures generationes conferuare eius memoriam? Vix ergo tum, cum hic liber scriberetur, adeo ignotus poterat dici, vt poetae liceret, salua probabilitate, fingere, Ionam aegre tulisse id, quod Deum, misericordia commotum, Niniuitis pepercisse, videbat, hanc solum ob causam, vt efficeret, gentes, quas condemnabant Iudaei, pietate et animi probitate eos longe antecire, ideoque fauore diuino esse dignissimas. Praeterea PAVLVS ^v admonuit, hoc totum partibus minime congruere, et, quia hunc librum in tempora Ierobeami secundi remisit, intempestiuum, Iudaeos talia docere, duxit. Ipsos enim pro petitione principii subitam emendationem gentilium, fabula propositam, habituros fuisse, putat.

§. 13. Hic in Ienensi Academia Professor Cel. noui finis primarii constituendi fecit periculum. ^v Docet nimirum, Israelitas tunc temporis Assyrios cognoscere coepisse, quibus non paruam tributum pendere (2. Reg. XV, 19) a Phul, eorum rege, cogerentur, eis simul per hanc occasionem magnarum vitium vitia innotuisse. Haec, vt PAVLVS opinatur, auctori ansam praebere declarandi, mitas ne exteris quidem in gentibus exitum habere, si emendationem producerint. Hanc sententiam multo illustrauit ornatu. Demonstrare studuit, has minas huic fini egregie respondere, alienas a vera historia. Ostendit

C 3

e. g.

^v) Memor. t. VI, p. 32-70. ^v) l. c.

e. g. Deo indignum fuisse, tanto Ionam amore prosequi, ut summo apparatu eius vitam tueretur, ut omnibus elementis contra eundem vteretur, atque sic agendo, hunc sibi esse carissimum, declararet. Cum ex mea qualicunque opinione ne ad hoc quidem consilium omnia queant referri, et cum haec sententia de misericordia et clementia diuina erga vniuersum hominum genus plane non sit dubia, ne nimium repetendo lecturis creemus molestiam, hoc vnum monuisse sufficiat, vix mortalem posse pronunciare, hoc vel Deo dignum, vel indignum esse, cum agitur de consiliis eius, quae plane perspicere nequimus. Cum hac PAVLI sententia MVLLERI opinio affinitate quadam coniuncta est. Tribus partibus, uti statuit, de eo, quod Ioua benignissimus et clementissimus, infirmitatum humanarum ratione habita, libentissime peccatoribus, quos peccatorum serio poenituerit, condonet, auctor huius libri exposuit. Prima quidem parte ita hoc dictum est illustratum: Ionas, Ninum proficisci iussus, quia se mandato exsequendo subtrahere voluit, a Ioua punitur. Hic tamen, tempestate vehementi perterritus, se turpiter egisse, agnoscit, et seruatur. In parte altera Niniuitae primarias agunt partes; peccabant suo genio indulgentes, sed, postquam meliorem mentem induerant, seruabantur. Hic, uti MVLLERVS opinatus est, Ionae auctor subsistere potuisset, nisi eum dubitatio, an non haec agendi ratio cum iustitia Dei pugnet, monuisset, partem tertiam adiungere, qua sententia de indulgentia Dei repetitur. Tamen veram historiam, fundamenti leuco subiectam, contendit. Nobis persuasissimum habemus, de indulgentia ac clementia, qua Deus in peccatores fertur, melius historia, quam fabula proposita, exponi posse. Certe non apparet, cur talis doctrina fabulae vestimento opus habeat;


habeat; eum eius argumenta, ex historia depromta, animos hominum moueant fortius, figmenta vero eiusmodi ornatum superfluum efficiant. Hae causae semper obliterunt, quo minus nobis persuasum esset, hunc librum fabulam continere. Sed restat, ut argumenta, omnibus explicandi sensusque primarii eruendi modis communia, indicemus.

§. 14. Non quidem mirum videri potest rem oculo fugitio consideranti, has recentissimas explicationes ob suam festiuitatem aequalibus nostris, qui in tales fabellas quasi impetu quodam feruntur, maxime arridere. Sed animo paulo attentiori rem perpendenti, variae obiectiones sponte sua vel inuito occurrunt. Quae nos contra hypothesein eorum, qui fabulam in libro Ioniae reperiunt, in vniuersum monenda habemus, iam ingenue profiteamur. Primum omnes illi interpretes, sese, difficultatibus variis motos, ab eorum, quos commemoravi, partibus flare, fatentur. Alios ad aliam sententiam amplectendam adduxit ingenium, quod sibi scelestissimum et flagitiosissimum sinxerunt, Ioniae. Sed iam supra memorauimus, prophetam adeo scelestum hominem non fuisse; et fac, ipsum talem fuisse, nos sumus adeo hebetes, ut in consilia Naturae sapientissimae penetrare non possimus. Etsi Iudas Iona peior fuit, tamen Iesus eum in amicorum discipulorum numerum recipere non dubitauit. Quidni etiam improbis hominibus ministris Deus ad consilia sua exsequenda uti possit? Quid porro obstat, quo minus in Ioniae gratiam Deus, omnia elementa, procellam, fluctus et piscem concurrere iuberet? In vita communi saepissime, quamquam hoc ignoramus, talem confluxum re-

rum,

rum, nobis vtilium, experimur. Ceteras difficultates de ceto et ricino, in dissertatione huius argumenti altera prolixius disputantes, tollere conabimur. Alios quidem emendatio Niniuitarum, quo minus hunc librum historice intelligerent, impediuit. Sed iam ostendit NIEMEYERVS, w) fieri potuisse tunc, cum homines oraculis diuinis essent adfueri, vt maximus rex, omnibus libidinibus deditus, viro, qui se a Ioua, Deo vero, missum declararet, fidem haberet. Porro, cum interpretum commentarios euoluimus, a variis varias doctrinas praecipuas ex hoc libro collectas, inuenimus. Si vero liber Ionae esset fabula, auctor in eo elaboraturus fuisset, vt sententia primaria, (quae virtus fabulae est necessaria.) x) in omnium oculos incurreret. Ipsa igitur diuersitas in ea definienda interpretum ad eos, qui omnia esse historice sumenda, contendunt, nos amandat. Postremo in libro ipso ne minimum quidem occurrit fabulae vestigium. Vt omnes libri prophetici, ita hic exorditur. Sermo est stilo historico conueniens. Haec pluraque alia, quae silentio praetereamus, fuerunt, quae nos mouerent, vt cum illis, qui, toti libro inesse historiam, putant, sentiremus. y)

w) l. supra laud. x) v. SVLZERI Theoria f. v. *Fabel*. y) Mirandum est, MYLLERVM genus scribendi poeticum in hoc libro inuenisse.



ULB Halle

001 558 609

3



TH-206







g 1820

DE
VERISIMILLIMA LIBRVM IONAE INTER-
PRETANDI RATIONE.

DISPVATIO PRIOR *1794*

QVAM

PRAESIDE
CONRADO GOTTLÖB
ANTONIO

THEOLOGIAE BACCALAVREO LL. OO. P. P. O. ET ALVMN.
ELECT. EPHORO

D. VI. ANTE IDVS SEPTEMBRES A. C. *MDCCCLXXXIII*.

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PVBLICO COLLOQVIO

PROPOSVIT

A V C T O R

HENRICVS CHRISTOPHORVS GRIESSDORF

AA. LL. M. ET PHIL. D.

VITEBERGAE,
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

1794